



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

Capvt III. Imitatio Christi circumdicti per vias Jerusalem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

& nostri gratiâ, non autem ut Dei & ipsius causâ, amemus, in nobis vivere permittendum: sive (ut nonnulli dixerunt, cum aliqua quidem exaggeratione, sed ad rem oculis subiiciendam appositè, Theologiæ mysticæ Doctores) nulla in nobis restare debet gutta sanguinis, quæ non sit divinitus more excocta.

*Suso serm. 4.
Blos. inst. sp.
c. 7.
Eckardus a-
pud Thaul.
&c.*

Quæ sanè, nimisquam fallitur, qui putaverit, opus (ut ita dicam) unius diei, aut defunctoriæ operæ laborem esse, aut absque agone, luctu, vulnere, evinci & obtineri posse. Veruntamen devota voluntas cum divini gratiâ potest omnia; & pedetentim ac passim progrediendo, ascenditur etiam ad summa. Quare quotidiano orationis studio, & abnegationis sui exercitio, naturæ pravitas parte aliquâ vincenda & emendanda est, quò sensim discat esse subiecta; deq; homine veteri, & inolitâ nobis vitiorum rubigine, aliquid assiduè deterendum: habendumq; præ oculis opportunum in præsens, præceptum S. Francisci Xaverij; qui, ut proditur in ejus vita: *Socios identidem adhibebat, ut semet parvis in rebus vincere assuescerent: ita dum magnorum certaminum fore victores.*

L. 4. Vit. c. 9.

Atque isti ferè sunt fructus, quos ex horto Gethsemani, & memorabili in illo Christi oratione colligendos potavimus.

CAPVT III.

Imitatio Christi circumducti per vias Jerusalem.

§. I.

Christi per vicos & plateas raptati consideratio.

Cum, ut principio hujus quintæ partis diximus, omnis Christi actio, nostra sit instructio; & vel sibi videri

ffimenti ejus salutari contactu adhibita, hoc est (sicut licet interpretari) etiam extrema ac minima sacra ejus humanitatis operatio pia meditatione tractata, multum valeat ad curandas nostras infirmitates: possumus & ex his Salvatoris nostri itineribus, nonnulla ad usus quotidianos salutaria deducere, & ad propositum nobis exemplum, mores nostros utiliter informare.

In primis igitur considerabis, quemadmodum benignissimus **JESUS**, ab insolenti licetorum ac satellitum turba, non tam circumducitur, quam ultro citroq; de tribunali ad tribunal, raptatur per vicos & plateas Jerosolymæ; quo militum clamore; quo populi undiq; confluentis concursu; quam varijs spectantium aut comitantium affectibus: dum alij mirantur tantum Prophetam tam barbaris & indignis tractari modis; alij, & plures, seductorem, veneficum, sacrilegum inclamant; alij, & pauci, ut in tanto numero, attestantur ejus innocentiam, & subitam rerum conversionem, hominisq; sanctissimi vices, ac sortem iniquam miserantur. Inse te quoque ei comitantium turba, & præeuntem Dominum devotis vestigijs affectans, ea qua geruntur, attentius contemplare.

Inspice præsertim, quo inter hæc habitu Salvatoris, quam modestâ atque honestâ (quantum ei quidem per militarem insolentiam licebat) totius corporis compositione, processerit: quâ verecundiâ, quo pudore suffusus, non tam ob sannas & opprobria, quibus undique atrociter impetebatur homo mansuetissimus & innocentissimus, quam quod ante oculos Patris irati compareret, portans iniquitates nostras, & tanquam hircus emissarius, populi peccatis & imprecationibus onustus, per urbis vicos circumduceretur, mox ei jciendus extra castra, & veluti in solitudine ferarum dentibus ad certam mortem obijciendus. Itaq; vultu rubore confuso, quod speciem ac personam peccatoris gereret,

Levit. 26.

Kkkk.

ret,

ret, humi obversos tenebat oculos, nisi quod subinde illos sustollebat in cœlum; id præsertim agens atque contentens, ut Patrem suum mundo placaret, & suâ illâ confusione, ab æterno nos opprobrio & confusione liberaret.

§. 2.

Nonnullæ ad eam imitationem opportuna præceptiones.

ERgo ad nonnullam Redemptoris tui in re proposita imitationem, ista quæ subijcimus attende.

Primò: Quando procedes in publicum, id eâ tui circumspeditione, eâ corporis ac vultûs compositione, facito; quasi Christum Dominum per vias Jerosolymæ circumductum, aut jam crucem suam bajulantem, comitateris; & mulari studens illius insignem modestiam, quam ita commendat Apostolus, ut per illam Corinthios obsecret, dicens:

2. Cor. 10.

Secundò: Procede cum interiori mentis confusione, memor peccatorum tuorum, quibus & æterna inferni supplicia meritus es, & causam præbuisi tot supplicijs ac doloribus, ipsiq; adeò amarissimæ morti Domini ac Dæi tui.

L. 4. Vit. c. 1.

Finge peccata tua atq; imperfectiones toti mundo notas, & te ut hujus istiusve vitij fœditate conspicuû ab omnibus notari. Quemadmodum de B. Francisco Borgia accepimus: qui cum ab inferni meditatione recens veniret, solito tristior per vias incedere visus est; quòd omnes crederet, se tanquam hominem ab inferis existentem intueri.

Aliàs (quod huc quoq; pertinet) finges te, ut reum & scelerum tuorum vinculis constrictû ad tribunal duci divinæ Justitiæ. Quod quidem re ipsâ verum est, si rectè attendimus: quandoquidē hæc vita mortalis, nihil nisi via sit, primum ad mortem, deinde ad divinum judicium: tamen ea via fortassis aliquantò longior est futura. Ut igitur reus qui ad Judicis tribunal trahitur, incertus de vitæ mortisve sen-

entia, inter eundem non petulanter lascivit, aut insolenter exultat, sed vultu dejecto & mente sollicita incedit, nihil admodum sollicitus, quid ab alijs rerum agatur, sed unum id cum animo suo versans, quem tandem res suæ exitum videantur habituræ: ita te convenit, tanquam reum ad DEI tribunal raptatum, rerum alienarum, aut omnino eorum, quæ mundi sunt, incuriosum pertransire, & sollicitum ambulare cum DEO tuo; id serio tecum reputantem, quem via tuæ terminum tandem habiturus sis, aut quam rerum tuarum rationem supremo Judici redditurus.

Ita porro fiet, ut per vias incedens, neque oculis male curiosis videas vanitatem, neque superbe te efferas, neque inaniter joceris aut exultes, nec denique noxia aut vana & stulta cogites; sed cum verecundia & modestia Christiana vias obiens, & vel gressus tuos cum Christi gressibus conjungens, vel aliud quidpiam salutare mente pertractans, quot humi passus figes, totidem ad cælum gradibus te promoveas.

Tertio: Hæc tibi præsertim dicta existimes, si vitam religiosam, aut perfectionis studium profiteare. Equum quippe est in tuis moribus, ipsiq; vultu atque externa specie elucere quiddam, quo præ cæteris agnoscaris Christi discipulus; atque ex illius imitatione, omnis tua actio intuentium sit instructio. Ut enim rectè S. Ambrosius ad illud Psalmi: *Qui timent te, videbunt me, & letabuntur: Pleris-* Serm. 10. in
que (inquit) justis aspectus admonitio correctionis est, perfectio- ps. 118.
ribus autem latitia. Qui proinde subdit, aspectum justis admodum esse salutarem, & vel ipsos oculorum radios virtutem quandam videri intuentibus infundere. Idq; speciatim valuisse in Magno Antonio testatur S. Athanasius, di- Vita c. 40.
ceens, quòd etiam qui ejus esset ignarus, nullo indicante ad Antonium currebat, & anima puritatem agnoscebat in vultu, & per speculum corporis, gratiam sanctæ mentis intuebatur.

Kkkk z

Igitur

Apo. 14.

Igitur instar Sanctorum illorum, qui (ut in Apocalypsi legimus) sequebantur Agnum, habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis; in omni via tu Agnum sequere, eaq; tum interioris tum exterioris hominis modestiâ & compositione procede, ut qui te viderint, in fronte tua, hoc est, in ipsa externa specie, legant inscriptum nomen Agni, & nomen Patris ejus; hoc est, agnoscant, quod specialiter Christi crucifixi sectator sis, & per omnia divinâ gloriâ exaggerandâ studiosus.

Hoc ut assequare (quoad licebit) inter vias animam sanctâ aliquâ commentatione occupa. Imitare Sponsâ solertiam, quâ etiam per vicos & plateas quærit dilectum animâ suâ. Habe semper Jesum præ oculis, & amabilem faciem ejus humanitatis speciem, quocunque perges, tecum circumfer. Attende illum (ut dicebamus) modò ut procedentem ad hortum Gethsemani, animo mœstum atque pavidum; modò ut probrosè distractum ad Annam, Caypham, Pilatum, Herodem; modò ut onustum oppressumq; fœrali ligno, ad locum supplicij raptatum.

Speciatim autem, quando ad Missâ Sacram te conferes, compone te, ut unum ex amicis Christi, aut sanctis mulieribus, quæ eum pergentem ad collem Calvaria, pijs gressibus ac lacrymis prosequantur. Cogita item, si afflictiſſimus Jesus crucem bajulans inter vias tibi occurreret, annon cum bona Berenice, divinum ejus vultum, sudore, fetu, cruore confusum, oblatâ sindone, quoad ejus fieri posset, libens abstergeres? At enim ecce tibi occurrit in isto paupere: ejus laborè & inopiam, Christi intuitu, promptâ stipe subleva: & aliquatenus, madentem vultum Domini ac dilecti tui, sudario terfisti.

His aliisve ejusmodi pijs cogitationibus & affectibus, Christum per vias Jerosolymæ deductum, affectari & imitari poteris: sic tamen ut ista, velut sub manu, & ex ipsa res-

nâ

nasci debeant, non autem ut ullâ violentiâ convexetur animus, cum periculo obtundendi capitis, aut valetudini incommodandi.

CAPVT IV.

Imitatio Christi ab Herode spreti atque illusi.

DE hoc ita paucis Evangelista: *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusi indutum veste albâ: ubi binæ istæ voculæ magnum profectò pondus habent: sprevit, illusi.* Nam publico tanquam præiudicio, spernitur Deus Majestatis, Sapientia Dei illuditur: quæ prætereunda visa non sunt absque aliquâ propriâ consideratione.

Luca 23.

§. I.

Conditionum rei propositæ expensio atq; æstimatio.

Perpende hic primò: Mansuetissimum Redemptorem nostrum in passione sua, omni in loco in quo versatus est, atque ab omni hominum genere inter quos versatus est, spretum, illusum, derisumq; fuisse; etiam his locis & ab his personis, in quibus, aut à quibus nullum alioqui specialem cruciatum acceperit: eum tamen è contrâ, uti tangetur in sequentibus, omnibus ipsius cruciatibus ignominia, implexa fuerit. Ut non temerè dici possit, Christi Domini passionem ac crucem, generaliùs ac potiùs contumeliâ atq; dolore constituisse.

Itaque & in horto Gethsemani sædo osculo à discipulo proditur, quasi latro vincitur; & in Cayphæ domo, qui tenebant eum (inquit S. Lucas) *illudebant ei cadentes; & Herodes (in quo nunc versamur) illusi indutum veste albâ; atque in Præsidis prætorio, genu flexo illudebant ei; in cruce deni-*

Luca 22.

Matt: 23.